364.

M. ANTONII OLIVAE

DE SEPTIMO

ITALORVM SAPIENTIVM

CONVENTV

NEAPOLI CELEBRATO

DIALOGVS

POËTICVS

Adduntur, ut sensa clarius pateant, notationes quaedam vernaculo sermone scriptae.

NEAPOLI
PRIDIE KAL. DECEMBRES
M DCCC XLV

Αιει τουτο Διος κωραις μελει, αιεν αοιδοις
Ὑμνειν αθανατους, ὑμνειν αγαθων κλεα ανδρων.
Μωσαι μεν Θειαι εντι, Θεους Θειαι αειδοντι·
Αμμες δε βροτοι, οἱ δε βροτους βροτοι αειδωμεν.

ΘΕΟΚΡ. ειδ. ιϛ.

Typis Josephi Batone.

DIALOGI

PERSONAE

PARTHENOPE, THYRSIS

THYRSIS

Quo tendo et quorsum demens? Quae moenia, quaenam
Naufragus accedo pastor loca magna, viarum
Nescius, ignotus cunctis? quam vertor ad urbem
Ingentem, pulcram? Quemnam percontor? At ecce
Fluminis (1) ad ripam placidi pulcherrima virgo
Fronde super viridi recubat veneranda, et amico
Vultu, ridenti similis me respicit: addit
Haerenti ipsa animos. Ibo, illam cuncta rogabo.
O Dea, seu certe nympharum laeta colentum
Litora fontesque (2) una, o formosissima, quaeso,
Maxima quae cerno dic quae sint moenia, quaenam
Et tu: mortalisne, an terram invisere nuper
Advenis ex alto conventu caelicolarum?

PARTHENOPE

Vrbem ego quam spectas fundavi, Parthenopesque
A me nomen adhuc servat memor. Ast ego Siren
Femina egena solo vix olim surgere vidi
Exiguamque humilemque: caput nunc extulit inter

Tantum alias urbes, quantum viburna cupressus
Exuperant, tantumque nitet quantum vaga pleno
Lumine luna micans alta inter sidera splendet.
Vnde Novae (3) nomen merito nunc Vrbis adepta est.

Thyrsis

Parthenope! o decus Italiae, o mea magna cupido
Et vetus, inveni te tandem, pauper inopsque,
Ejectusque mari cum rerer inhospita regna
Accesse, et vitam extremos tolerare per annos
Cornis vix posse ac sorbis nutritus amaris.

Parthenope

Sospite te laetor sane, abs te laetor amari.
Sed tu qui tandem? queis fati legibus actus,
Aut spe qua fretus nostras contendis ad oras?

Thyrsis

Parthenopes animus cui non spectatus in orbe?
Pulcra suo gremio quem depulit illa vel unquam
Vbere prohibuit? quemnam non sedula fovit?
Ast ego non felix (Thyrsis mihi nomen) iniquam
Excolui terram, musis haud natus iniquis:
Atque illas quanvis valde colui atque adamavi,
Inque illas avide incubui, nullumque laborem
Ferre recusavi pro musis; improba semper
Fors tamen obstitit, heu misero, nec carpere passa est
Ex alto fructum me Pindo: tenuia tantum
Vix folia aut siccas largita est invida frondes;
Cultoremque bonum frigusque famemque ferentem

Sustinuit spectare oculo (scelus) implacato.
Quae tandem indignans, ingratam linquere matrem
Constitui, et potius mandando semina sulcis
Lanigerumque pecus pascendo, degere vitam
Agrestem ac solam quam tecta videre superba
Exosos fastus et currus ardelionum
Oppletos, tandem mendacibus omnia plena
Divitibus, vitamque probos vix sustentantes.

PARTHENOPE

Mutastique stylum sic vomere, stulte, pedoque!

THYRSIS

Non equidem; verum urbi agros praeferre volebam,
Otia sollicitis curis turbisque quietem:
Nec curas abjeci omnes, sapiente bonoque
Sed tantum indignas: terram spectare cupivi
Luxu incorruptam, silvas camposque virentes
Umbrosas valles currentia flumina ripis
Glaucasque adstantes salices quercusque per imos
Annosas colles, mox fagos montibus altis
Extantes, tandem lapidosa cacumina caelo
Proxima mirari, nidos ubi ponere solis
Mos aquilis (4): pictas per ramos ire volucres
Cernere gaudebam vocesque audire canentum,
Errantesque agris lepores damasque tueri,
Perque lacus passim nantes ac flumina mullos,
Cetera quae dives profert natura vel alma
Visceribus nutrit tellus pelagusque profundum.
E terra ut nitidum conscendant aethera nubes,

Fulgura gignantur, tonitrus fremat, omnia venti
Concutiant, imbresque ruant stridantque procellae (5);
Omnia defessus cum vomere staret humi bos
Effusus, pastas et oves cohiberet ovile,
Haec ego securus mecum reputans, sceleratas
Insidias hominum tum obliviscebar et artes.

PARTHENOPE

Securam nactus vitam sapienteque dignam
Linquere passus es, ac temet committere ponto!

THYRSIS

Italia ex omni fore ut unusquisque coiret
Doctorum sapientumque huc lectissimus ordo
Fama tulit, geminum qui possent mente oculoque
Percurrisse polum, fluitantem perque vagari
Aëra et occultos terrae pelagique meatus,
Ac lapidum genera et celata metalla sub imis
Montibus agnosse, ac scrutari semina rerum
Omnia, pratorum viridantum germina scire
Et fruticum varias naturas, non animantum
Mores, non cultus agri ignorare neque artes
Queis sibi prospiciunt homines elementaque cogunt
Cuncta sibi servire (6); et dulcem vivere vitam
Possent, stultus amor nisi nummi aut caeca vetaret
Ambitio, effrena ac semper damnosa voluptas.
Haec ego tum auscultans dulcique incensus amore
Noscendi penitus naturae munera matris,
Ridentes Dryadum sedes mutare frementi
Neptuno statui ac parvae me credere puppi.

Solverat at vix dum perituram navita pinum
Cum venti me omnes, omnes petiere cadentes
Nimbi. Nox alto ruit undique. Fulmina tantum
Luce micant tristi: polus intonat, intremit aether:
Et caelo insultans pontus furit omnis in unam
Naviculam. Tres illa dies agitata magistrum
Excussit. Clavus divulsus: scissaque vela
Abripuit turbo. Fluctus tandem impulit ingens
In scopulos miseram, et vastum demersit in aequor.
Me tabula servatum una miseratus arena
Semianimum excepit Deus uda: cumque putarem
Cyrenas, Libyae ac inter venisse colubros;
Ille Deus, Deus ille tuas me trusit ad oras,
Ulla quibus nusquam viguit felicior ora.
Primaque ut erranti veniens lux fulsit amica
Te vidi, dulcique tuo consolor ab ore.

PARTHENOPE

Mens tua laudanda est hospes, laudabile et ardens
Discendi studium: neque Dîs tu indignus amari.
Invida sed valde te oderunt fata: volenti
Obstitit, et Boreas Eurusque et turbida Tethys.
Doctorum jam homiuum congressus desiit omnis:
Advena secessit, pauci superesse feruntur.

THYRSIS

Eheu quanta bona et quot fato perdere cogor.

PARTHENOPE

Quae nescis: nec scire potest nec credere qui non
Ipse suis oculis conspexit mira novumque

Gentibus exemplum. Par nulla dedit: dare majus
Nulla potest terris. Secreta repostaque prorsum
Naturae doctas arcana reclusa per artes,
Et veterum monumenta virum detecta (7), locorum
Longinqui metati fines (8), ingeniumque
Aëris atque soli perspectum, vis animantum
Comperta est, diris morbis medicina reperta . . .

Thyrsis

Infandum mihi cur pergis renovare dolorem
Parthenope? Tantum sapientum nomina, sodes,
Tanta quibus potuisse datum narrato virorum.

Parthenope

Omnia quî possum, vel tot numerare quis ausit?
Aut quis cuique suas dicendo attexere laudes
Tot meritas studiis, tantoque labore paratas,
Per maris ac terrae quaesitas saepe pericla,
Et proprio tandem nec spernendo aere redemtas?
Tantus amor sophiae decorisque immensa cupido!

Thyrsis

Quid? proprio narras, nec spernendo aere redemtas!
Ergo et doctrinam laudesque pecunia donat?
Vtque voluptates pompasque et cetera vulgus
Quae bona sed falso commendat nomine, vera
Sic bona sic sapiens famam mercatur honestam?
Vae mihi qui nummis careo, justoque bonoque
Cui quicquam in loculis nunquam seponere nec Dî
Justi siverunt, hominum nec perfida facta.

Omne bonum venit: jus venit. Sacra metalli
Pestiferi pro dira fames. Telluris in imis
Qui te visceribus celatum extrudere in auras
Tentavit primus scelera o quanta ille paravit:
Infando satus ille die quot semina sevit
Irarum ac belli. Ex illo discordia nata
Atque inimicitiae invidiae spretusque superbi.
Illius ah Lethe submergat nomen; et ossa
Illius urat sol, jactent venti, obruat imber;
Immundique sues rostro, caprique petulci
Cornibus exagitent...

PARTHENOPE

Quo vadis? quis malus error
Te rapit ac longe recto de tramite pellit?
Divitiae mala sic sunt ut bona cetera, stulto;
Sunt bona si recte utaris. Nec rectius unquam
Quam modo divitiis est quisquam usus. Mala nusquam
Longius ambitio abfuit, atque superbia vilis.
Vnus te poterit Princeps, mea gloria, magnum
Italiaeque decus regumque exemplar, amorque
Parthenopes magnus FERNANDVS Trinacriaeque,
Quam procul a vera refugis ratione docere.
In patriae populique bonum tot pendere gazas
Sustinuit Regum nemo hactenus. Optime noster
FERNANDE o felix solus tu tot potuisti
Tantaque moliri quot quantaque dextera pectus
Majestas animusque tuus mihi detulit ingens;
Grandia majorum cupiens exempla imitari,
Et longo dudum spatio praegressus et alto.

Thyrsis

Audieram haec ego Parthenope: nam fama volatu
Pernici procerum virtutes praedicat omnes.

Parthenope

Audieras? Audisse parum est. Si discere quis vult
Ipsius optatum pervisant lumina verum.
Ingredere hanc urbem sis, regna revise Secundi
Fernandi quacunque supra qua porrigit infra (9)
Brachia quae terris includitur Amphitrite (10):
Omnia comperies famam retulisse minora
Veris. Namque scholae celebres (11) librique (12) recludunt
Thesauros quoscunque suis Sapientia cellis
Addidit aut nuper vel sedula condidit olim (13).
Seu gemina frigens Ursa seu sub Cane adusta
Herba frutex arbos quicquid telluris inumbrat
Fronde solum viridi collectum floret in hortis
Optanti oblatis (14). Enecta animalia vivunt
Heic paene: at tacite composta pace fruuntur.
Quare te immani neque terrent ore leones,
Vngue nec accipitres. Vitreis verum hospita septis
Arcessita mari terraque heic bellua ab omni
Spectandam se se praebetque quieta suosque
Omnigenos vultus artus pennasque fugaces (15).
Ipsa neque illarum celantur viscera et ossa:
Non nervi non ulla deest arteria, nulla
Vena, tori nulli desunt prope sanguine pleni,
Non ipsi praegnans quos caeca continet alvo
Femina nascentes foetus, non monstra solutis
Naturae frenis genuit quae bruta libido,

Non uterus varii quos aeger fecit abortus (16).
Stant parte ex alia lapidesque metalla adamantes
Sulphura et immensis quicquid fornacibus ustus
Evomit eructans antris Vulcanus uterque (17),
Tellurisque alii foetus. Sed maxima longe
Est veterum dives rerum ac veneranda supellex,
Cui prisca Aegyptus Latium Campania, cuncta
Terra fere tabulas signataque marmora et aera
Relliquias misit populorum, divitiasque
Ignifer hic olim quas mons incendia jactans
Visceribus raptim perruptis saeva, ciensque
Ac cineres ac saxa imis liquefacta caminis
Obruit atque alta subter sepelivit arena,
Nunc tandem innumeris post annis Gloria Amorque
Borbonvm sobolis metuens impendia nulla
Effodit atque jubet convexa revisere caeli (18).
Omnia magnificis collecta haec moenibus extant:
Inde et avens discit naturae cultor et artis,
Atque suo nullo sumptu, nulloque magistro.
Non igitur pretio quaerenda est gloria egeno,
Aereque parta levi nullove scientia multis
Argenti atque auri cumulos et praedia et aedes
Jam peperit magnas. Mannis spumantia frena
Hi quatiunt, celerantque vias hi curribus acti.
Tu pedibus nudis ignave vagaris et expes.

Thyrsis

Quid facerem? sapere haud mihi tantidem annuit ullum
Numen, nec nummis potui unquam conciliari.
Sed quis non alios peccans culpare suevit?

Attamen haec nuper fuit altera mî veniendi
Caussa, bonum ut regem tantum tantamque viderem
Vrbem, si siccis fas demum accedere ad unctos.

PARTHENOPE

Fas equidem: nec fas magis ullo tempore Thyrsi
Quam nuper fuerat cum Virginis aurea spica
Lanci librandum tepidae Titana reliquit (19),
Ac docti venere novi. O si tu modo adesses,
Silvas atque feras urbique hominumque puderet
Praeposuisse focis arisque, inopemque opulento
Cultum. Regales mensas, regalia forsan
Atria sponte tibi pastor reserata videres,
Marmoribus gemmis auroque micantia circum
Omnia, noctemque innumeris clarescere victam
Lampadibus; cunctis offerri fercula doctis
Atque irritamenta gulae dulcissima, suaves
Concretosque gelu fulgentia vasa liquores
Vltro occurrenti largiri: plurima dum te
Pieridum blandos recinens symphonia cantus,
Tristibus a curis revocat miscetque beatis.
Vlla neque in tanto splendore superbia, nullum
Ordinis aut coetus discrimen. Justa potestas
Jus omne aequari voluit populique ducumque,
Aequari fascesque togasque, insignia honorum.
Vno ornatu omnes. Reges ipsi (Hem nova virtus
Regnantum ac genti conspecta modestia nulli)
Turbae commixti errare atque accumbere mensae.
Hos poterit fastos quae natio commemorare,
Quaeve suum FERNANDO nunc regem aequiparare?

THYRSIS

Parthenope o felix, quam sic Fortuna adamavit.
Sed qui tandem epulis dignati accumbere Regis?
Hosce refer saltem quando omnes, optima Siren,
Enumerare grave est.

PARTHENOPE

Hos et comprendere mente
Ac voce effari grave opus. Cujusque manebit
Semper honos ac fama: memor servabit et usque
Clio gesta canens venturis nomina saeclis.
Ipsa tibi ostendet mox singula. Sed mihi non heic
Praetereundus erit regni rerumque Minister
Nostrarum ac praeses consessus maximus ille
ANGELVS; immenso flagrans qui laudis amore
Omnes excoluit puer artes incumbuitque
In pulcras prorsum; captusque cupidine veri
Optima quaeque vigil sapientum inventa sategit
Quaerere defessus nunquam, compertaque gestit
In commune bonum seponere convertenda.
Magnificum hic REGEM cupidosque propellere cives
Acrius admotis stimulis curavit honoris.
Sic urbs quam dixi parvam posuisse inopemque
Ad decoris tanta evexit fastigia se se,
Invidet ac nulli. Nox ipsa hinc aëre flammas
(Mirum) in se celanti (20) pulsa. Rotis celerata
Plaustrorum series nullo devecta animanti
Ferrea strata legens tenuique agitata vapore
Transvolat en volucri rapidoque simillima vento (21).
Avia tesqua viae pervadunt undique, ruptae

Constrata aequantur silice, arctae dilatantur,
Accipiunt speciem declives planitiei.
Inviti celsos ducuntur scandere montes
Currus per faciles accessus (22). Flumina miris
Pontibus injectis passim tranantur ubique (23).

THYRSIS

Magnas res narras, mentemque animumque Ministri
Ingentem, ac vere te terque quaterque beatam.

PARTHENOPE

At paucas vasto libavi ex aequore guttas:
Exhaurire potest nam quis totum? Aspice clivo
Illo in devexo stantem arcem (24). Perspicere inde
Possis sublimi quae fiunt aëre (25) circum;
Praecipue ignipotens electri cum vapor (26) intus
Aestuat, altitonans et caelum in nubila cogit
Iuppiter, aut ventos emisit cum Aeolus antris.
Cur grando, nix unde cadat, quando ingruat imber (27),
Iris quot pulcros rapiens a sole colores
Stillanti pluvia nigra sub nube refringat (28),
Quid geminet solem vel lunam (29) quidve coronet (30),
Fulmina quae feriant et quot miracula prodant (31),
Terribiles quae presteras (32) vis torqueat ingens,
Cetera quae caelo interdum spectanda recurrunt
Aeternae parent dum legi lux aqua et ignis (33)
Illinc nosse datum est, ac stellas contemplari
Praecipites caelo pallenti luce cadentes (34),
Et lapidum specie revolutas desuper imam
Tellurem antiquo repetentes foedere massas (35).

Hanc tu Rex bone fecisti modo surgere molem,
Tuque Minister eras auctor doctissime. Magna
Dos illi donata, tributa et magna supellex,
Pervius atque rotis facilisque ascensus ad illam
Substratus... Sed ego quo deferor inscia, cuive
Permitto oceano mersura in gurgite lembum
Immenso metaque procul? Quid pastor? An usus
Hic nondum laudandus opum tibi dure videtur?
Si nondum, merito sis pastor pauper et erro.

Thyrsis

Hercule Parthenope. Sed tu mihi parce querenti
Fortunae damna et fastidia dura potentum.
Quae incassum petiere homines ea denique spernunt.
Ipsa tuo ingenio sed comis mî ultro benigna
O dea quin tandem reliquorum nomina profers
Optimus ille suae quos mensae accumbere jussit
Musarum fautor Fernandvs praesidiumque?

Parthenope

Arduum opus, dixi, me poscis. Rectius ipse
Naufragiò ejectus tu palans ac miserandus
Cur tibi, curve tuis rebus non consulis? Atque
Jam sol Ioniis rorans nitidissimus undis
En juga Vesuvî superat, fumumque nigrantem
Mulciberis refugit (36). Devita spicula solis
Ardentis, vitamque tuam ne despice, quamvis
Pastor et infelix: sapiens nam nomine vero es.

THYRSIS

Pastor Parthenope, pastor malus, at sapientum
Magnus amator. Vix illos accedere raro
Dignatus cupio tamen ipsos noscere, saltem
Quosdam possim primores ut adire fruique
Colloquio ac partem doctrinae forte lucrari.

PARTHENOPE

Quando tui oblitus, discendi urgeris amore
Tam justo, expediam solum tibi prima virorum
Ausoniae gentis. Princeps celsissime vere
O sate progenie de grandi Napoleonum
Tu memorandus es heic doctissime, cuncta animantum
Qui genera et mores pernoscis, germina calles
Herbarum et frondes et flores, quique metallorum
Et lapidum venas imas, telluris et omnes
Percurrisque plagas animo metiris et orbem
Immensum quacunque patet; censumque, decorum
Ac genus omne oculis sublimibus aspernatus
Doctorum varios conventus expetis atque
Sectaris mixtumque illis te te omnibus aequas.

THYRSIS

O juvenem egregium generoso e semine cretum.

PARTHENOPE

Nec Freschi comitem sileam qui vertere terram
Vomere quo, quibus aut rastris, vel sidere sub quo
Inserere aut oleas vitesque aut fingere falce
Conveniat, grata ut Cereris jucundaque Bacchi
Munera laetificent populos ditentque colonos,

Expedit, ac quae cura bovi pecudique adhibenda.
Teque Oriole canam, juris quem recta cupido et
Vivida vis animi patrio lare depulit olim,
Corcyra nunc audit laetans, procul Italia omnis
Suspicit omnigena ornatum virtute repostas
Naturae leges curantem pandere genti.
Ast ego quemque suo compellans nomine, quanquam
Paucula vix narro, longe tamen abstrahor. Ecquid
Fiet si cunctos numerare ac tot peregrinis
Doctis nostrates tot jungere nitar, et omnes
Vel sterili donem Parnassi e vertice lauru?
Quid si te vitae columen custosque salutis
Huc referam Lanza o bone verae propugnator
Artis Apollineae, sapiens et doctor et aureo
Eloquio superans omnes? si te venerande
O Sanctore senex, artus qui vulnere laesos
Effractosve levas miro ausu, et corpore fibra
In nostro quem nulla fugit? si te Tenor horti
Auctorem quo non ullus vernantior alter,
Nullus tot donis conridet deliciisque
Queis tua ditavit Floram solertia primum?
Cur et Avellinum taceam doctum, omnia scite
Qui monumenta patrum sermones juraque mente
Continet et lingua potis est monstrare diserta
Qua Latiumque potens, qua Graecia magna locuta est?
Atque ubi Thaddaeum linquo, doctumque Pasinim
Omnia qui rerum visuri prima elementa
Quicquid et alma parens gignit natura, marisque
Et terrae in vastis penetralibus atque recondit,
Arte meant vigili mortali qua data nondum

Ingenio fuerat via veloque hactenus alto
Et densa obducta caligine tecta recludunt?
Hosque praeesse sibi jussit genus omne scientum.
Dicere qui reliquos vellet, subducere arenae
Is numerum posset Libycis luctantis in arvis.
Sed mihi Delucam non fas reticere docentem
Quicquid sublimis promit geometria in omni
Parte sui, cunctis missis ambagibus, uno
(Ne dubita) ingenii molimine. Magna revelat
Mens illius. Aves seu terram cernere cunctam
Seu metiri seu populos nosse ac numerare;
Is tibi erit praesto ac te chartis voceque ducet.
Vellem et te Bellim mensorem frigoris, atque
Majocchim, Matthaeuccim memorare legentes
Naturae cupide gressus, arcanaque passim
Omnia monstrantes. Sed vox me deficit ipsa
Et vires: solque urit jam altus. Cetera Thyrsi,
Vrbem si intraris, clarissima nomina disces;
Quae nec tempus edax poterit nec perdere rerum
Perpetuae innumeraeque vices, nec livida Lethes
Vnda, nec in cunctos saevae falx impia Mortis.
Forsitan et tu, si quando sprevisse pigebit
Conventus hominum murosque, pedoque retorto
Et calamis positis, plectrumque lyramque silentem
Arripere, et nostros heroas carmine digno
Audebis celebrare satis; tu Thyrsi resurgens
Ex humili vita longoque sopore repulso,
A me tam poteris doctos laudare relictos;
Tu Regemque pium cantare et pulcra Ministri
Gesta mihi vix orsa brevi, percurrere filo

Perpetuo, atque auro discretam texere telam.
Quod facias hortor moneoque ultro hospita grata.

THYRSIS

Tu me Parthenope tanto dignaris honore!
Nemo quidem Thyrsin ratus ullo est munere dignum.
Dignaris Dea tu me? dulcis da Dea.

PARTHENOPE

Dignor.

THYRSIS

O me felicem, tandem inclementia sortis
Cesserit, heu, si tandem, si me respiciat REX
Munificus, stratumque levet si dextra Ministri,
Aoniamque sinat rupem conscendere Phoebus:
Quis prohibere queat gratae praeconia linguae?
Quisve modum statuat dicendi? Fessa labore
Atque aerumnosa forsan detrita senecta
Vita brevi cedet cui cedunt omnia leto:
Spiritus at donec vitalis et aura manebit,
Non unquam meritas cessabo pendere grates,
Tollere non unquam meritos heroas ad astra.

AD LECTOREM

EPIGRAMMA

Absurdum quid forte tuas si offenderit aures
    Aut exquisitum, candide, judicium,
Lector, parce seni cui dudum lumina languent,
    Vix legere et cui vix scribere posse datur.
Illudens oculis nam mox si abscesserit umbra,
    Vt sperat, lapsus corriget ipse suos;
Ac forsan meliora canet nî stamina Parcae
    Pulla neant sevae, aut ferrea fata vetent.

NOTE

1 Intendesi del fiume *Sebeto* di placidissimo corso.

2 Vuol dire delle *Nereidi* e delle *Naiadi*. La crede una di queste perchè vedela presso al mare e sul fiume.

3 Novae Vrbis, di *Napoli*, perciocchè è notissimo che Νεάπολις, *Neapolis*, significa *Nuova Città*.

4 Si è accennata la natura della terra dal fondo delle valli, per le quali scorrono i fiumi, sino alle cime de' monti, e la natura delle piante che vi vegetano. Quindi si passa al regno animale, e se ne accennano i principali generi, cioè de' volatili de' quadrupedi e de' pesci.

5 S' indica la contemplazione delle meteore.

6 Si accennano le principali scienze naturali, Astronomia, Aerologia, Geologia, Mineralogia (nome corrottamente congegnato d'una parola volgare e di una greca), Chimica, Botanica, Zoologia, Agricoltura; ed ancora le arti generalmente comprese sotto il nome di Tecnologia.

7 Si accenna delle proposte quistioni di archeologia, e de' monumenti antichi scavati a Pompei.

8 S' indica la geografia e le misure geografiche.

9 Descrivesi il mare Adriatico detto anche *mare superum* e 'l Tirreno detto anche *inferum*.

10 Amphitrite qvae terris inclvditvr. *Il mare Mediterraneo*: del quale è quasi un braccio l'Adriatico, un altro il Tirreno: e con ciò circoscrivesi il regno di Napoli tra i suddetti mari contenuto.

11 Le pubbliche scuole, i *licei*, i collegj e le università degli studj.

12 Le pubbliche librerie, dette volgarmente con vocabol greco *biblioteche*.

13 Con la parola *nuper* si accennano i libri moderni e con la *olim* gli antichi delle stesse librerie.

14 Si favella degli orti *botanici*, ne' quali truovansi adunate le piante della zona fredda indicata per le costellazioni dell' Orsa e maggiore e minore; e le piante della zona calda indicata per la costellazione del Cane minore, cioè della canicola.

15 Accennasi il gabinetto *zoologico*, per mezzo del quale si possono osservare posatamente le forme degli animali, che vivi i più sottraggonsi alla nostra vista.

16 Gabinetto *anatomico*.

17 Gabinetto *mineralogico*: nel quale contengonsi fra le altre cose, le materie vomitate dal Vesuvio e dall' Etna che s' indicano con le parole di *Vulcanus uterque*, alludendo alla fucina di Vulcano finta da' poeti nelle caverne di cosi fatti monti.

18 Il museo *archeologico* contenente principalmente gli avanzi singolari di Pompei e di Ercolano sepolti dal Vesuvio e disotterrati con immensa spesa ed illustrati per la munificenza e l'amore de' Borboni alle scienze ed alle arti.

19 Si descrive il tempo del Congresso cominciato quando il sole apparentemente passa dalla costellazione della Vergine alla costellazione della Libra, cioè della Bilancia: nel quale tempo si agguaglia per tutta la terra il giorno alla notte, e al calore ardente della state succede il tepido dell' autunno. Ho nominata in luogo della Vergine la sua Spiga, cioè la così detta stella di prima grandezza che in quella costellazione splende.

20 Il gas *idrogeno* o meglio *flogogeno*.

21 Descrivonsi i traini di cocchi trasportati per forza di vapore su per le strade ferrate. Fingesi che il primo traino passi mentre Partenope favella e ch'essa il mostri a Tirsi.

22 Strade rotabili magnificamente lastricate e quasi appianate per tutto.

23 Ponti di pietra e di ferro.

24 Osservatorio *meteorologico*, che meglio direbbesi *meteoroscopico*.

25 Le meteore così dette dalla parola greca μετεωρος (*meteoros*), che vale *sublime*, perchè si generano nella parte sublime dell'aria.

26 Il fluido elettrico.

27 Meteore acquose.

28 Accennasi la generazione dell' iride prodotta dalla varia rifrazione de' raggi del sole nelle gocce della pioggia contro nugoli bruni.

29 L'apparizione di più soli o di più lune, detta *parelio* e *paraselene*.

30 Le corone che intorno al sole o alla luna alcune volte appaiono.

31 Meteore ignee.

32 Le bufere dette con vocaboli greci πρεστηρες (*presteres*) o τυφωνες (*typhones*); onde anche il volgare *tifone*.

33 Cagioni delle meteore luminose, acquose, od ignee.

34 Stelle cadenti.

35 *Aeroliti*.

36 Si accenna della fucina favolosa di Vulcano della quale è detto sopra, n.° 17.

Pag.	vers.	ERRATA	CORRIGE
5	8	vit amque	vitamque
6	20	et dulcem vivere vitam	beatumque aevum agitare
18	27	longoqne	longoque